



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmæ Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

De superbia quæ apparet in familia. Cap. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

amor pauperū. Timendum est ne Deus multū offendatur, quoniam subtrahitur ori suo in pauperibus, vnde equi impinguntur.

De superbia quæ apparet in familia. CAP. XX.

Notandum quod tria possunt esse reprehensibilia in familia nalicuius potentis. ¶ Primum est, multitudo. vnde Ecclesi. 5. Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas, & quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis? ¶ Secundum est, vita inhonesta. vnde Bernardus: Nec te dixeris sanum dolentē larera: hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem. Nō tuta est bonitas tua obsessa malis, nō magis quā sanitas vicino serpenti. & David in Psalm. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Nō habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, &c. ¶ Tertium est, inutilitas. Fatuum enim est habere familiam sibi inutilem. Proverbiorum 14. Iracundiam regis seruus inutilis sustinebit. Matth. 2. Seruum inutilem proiците in tenebras exteriores: & sicut diximus prius, Christianos qui pompatici sunt, quantū ad multitudinem equorum, apostatas esse & transgressores baptismatis, quo promiserunt abrenuntiare pompis diaboli: sic possum dicere de illis qui pompatici sunt, quātum ad magnam familiam, qui gaudent de multitudine familię sequentis eos. Tali facultate laborant quali laborat ille qui deferens mel, gauderet eō quod multæ muscæ sequerentur eum. Senec. Multi aliquem comitantur, mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, prædam sequitur turba ista, non hominē. Quandoque familia quam credit superbus esse suā, potius est familia diaboli, custodiens eā diabolo. vendit etiam eam diabolo, dum procurat, quod ipsa corrumpatur in iudicio vel alio modo: quādoque etiā vinum sepelit eum, dum ei adulatur. Vnde Greg. loquēs de illo verbo Matth. 8. Sinite mortuos sepelire mortuos suos, dicit: Mortuus mortuum sepelit, cum peccator peccatorem aggere adulationis premit. Familia etiam superbi eū comedit, dum temporalia quæ illi vnita sunt per amorem consumit. vnde August. Nimij amatores temporalium fecerunt ea membra sua. Vnde vsualiter solent dicere auari cū bona eorum comeduntur, se comedi.

De superbia conuiuiorum. CAP. XXI.

Superbia conuiuiorū apparet. ¶ Primo in hoc, quod magni & diuites inuitantur qui nō indigent, & pauperes relinquuntur: contra illud Luc. 14. Cū facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia nō habet vnde retribuāt tibi: retribuetur enim tibi in retributione iustorum. ¶ Secū. in hoc, quod sunt multi mini